



164  
~~20.~~ A

ORDINIS THEOLOGICI  
DECANUS,  
**GASPARUS**  
**LOESCHERUS,**  
D. PROF PUBL. CONSIST. EC-  
CLES. ASSESSOR, ECCLES. WIT-  
TEBERGENSIS PASTOR, ET CIRCU. ELECT.  
SAXONICI SUPERINTENDENS  
GENERALIS,  
*LECTORIBUS*  
*S. P. D.*

164

OLINIS THEOLOGICI

DIGESTA

GLADIBUS

LOGOCRISIS

PENTABULUS

THEOLOGIA MIT


THEORETICA

SAXONICI SUPPLEMENTA

GENERALIA

LOGOCRISIS

A.P.D.



Ulla salus absqve Deo. Nulla notitia salutaris absqve Deo. Nulla Theologia absqve Deo. Unde eos, qui ad Deum accedere volunt, credere oportet, quod Deus sit. Ebr. XI, 6. Frustranea igitur omnis fides, frustranea omnis de fide doctrina, frustranea omnis de salute persuasio, quae aut Deum ignorat, aut negat, aut circa eundem in doctrinâ temerarie graviterque errat. Atque hæc causa fuit, cur vera & salutaris de Deo doctrina reliquis fidei Articulis tanquam fundamentum semper substructa, omnibusque hæresibus opposita fuerit. Fecerunt hoc Concilia, Constantinopolitanum secundum, Cap. VII. Toletanum primum Cap. XXI. Toletanum quartum Cap. I. Lateranense Cap. I. Arelatense tertium Cap. I. Wormatiense Cap. I. Idem fecerunt Patres & Doctores Ecclesiæ, Athanasius in Expositione fidei fol. 394. seqq. Nazianzenus de Fide Orat. XLIX. Tertullianus de Virginibus velandis Cap. I. Augustinus Tom. III. Opp. de Fide & Symbolo cap. I, de Tempore Serm. CXXV. & CXXV. Socrates

*in Histor. Eccles. Lib. II. cap. XXV. Guitmundus de Trinitate Tom. IV. Bibl. Patr. Job. Damascenus de F. O. Lib. I. Cap. VIII. Gregorius P. P. in Decretis Part. I. Tom. I. Isidorus Hispalensis de officiis Ecclesiasticis Lib. II. Cap. XXIII. Author de fide ad Petrum Diaconum Cap. I. ap. Augustin. Tom. III. Victor in Exposit. Fidei Tom. V. Biblioth. Patrum fol. 457. Fulgentius ad Trasimundum Regem Lib. III. fol. 54. Ferrandus Diaconus Parænet. ad Reginum fol. 1893. in appendic. Bibl. Patrum, Rabanus Maurus de Institut. Clericorum. Lib. II. Cap. LVII. Gregorius Turonensis Lib. I. Hist. Francorum. Cap. I. Quid & ipse Imperator Justinianus in Edicto de fide, quod reperitur Tom. I. Juris Graeco-Romani fol. 521. longoqve numero alii. Tanti enim his visa fuit orthodoxia de Deo doctrina. Neque id absqve prægnanti causa. Quod si enim in ullo de Fide salutari dogmate multi passim errores in vulgus sparsi fuerunt, id profecto in hoc factum fuit. Recitabimus qvosdam ὡς ἐν παρόδῳ. Deum existere, negant Atheti, qvorum alii Theoretici sunt, alii Practici; alii crassiores, alii subtiliores; alii Formales, alii Materiales, alii sub aliis tegminibus latitantes, de qvibus aliis in locis prolixius agendum est. Deum non Trinum, sed unum, non tantum Essentiâ, sed & ὑποστάσῃ esse, credunt Apellitæ, Messaliani, Deitæ, Monarchitæ, ab errore hoc nomen adepti. Deum ita unum esse, ut triplici tantum nomine, Patris, Filii & Spiritus Sancti, non trinâ ὑποστάσῃ, distingvendus sit, voluerunt Simoniani, Ptolemai, Colarbasii, Montanistæ, Noëtiani, Praxeani, Sabelliani, Apollinaristæ, Priscillianistæ. Crassius errarunt Marcelliani, Deum qvidem verbis confitentes, Trinitatem verò in monstrosum qvoddam spectrum transformantes, profitendo, Eam esse extensionem unius ejusdemqverrei tanquam Massæ cereæ, & cur non, tanquam cerei*

cerei alicujus nati? Non procul ab his abierunt *Hierarchiæ*, id circa SS. Trinitatem somniantes, esse nimirum, Personas in eadem instar duorum aut trium luminarium in unâ lucernâ. His magis stolidi *Metangismonitæ* eum sibi Deum finixerunt, qvi instar alicuius vasis sit, tres Personas, ceu tria alia vasæ in se complectentis; aut qvi sit instar pellis pelles alias sibi implicatas continentis. Notum quoque in vulgus est, *Tritheitas* & *Triformianos* non aliud Deum agnovisse, quam qvi tribus Personis, seu tribus Diis inter se esse essentialiter diversis & à se invicem separatis constet. Qibus è diametro contrariantur *Aëtiani*, non tres Personas, realiter & personaliter à se invicem distinctas, sed tres tantum diversæ qualitates, credentes. Nec defuerunt, qvi in essentiâ divina quatuor Personas fingerent, quod fecerunt *Marcianæ*, *Apollinaristæ*, & *Tetratheitæ*, nec non *Theodosiani* & *Angelitæ*. Neque hi errantes universum errantium chorūm implent, quando complures alii restant ab iis diversi. Tales enim sunt *Gnosti*, *Cerdoniani*, *Marcionitæ* & *Manichæi*, duos sibi Deos, & duo rerum Principia, sibi mutuè contraria, alterum enim bonum esse, alterum malum, imaginati & publicè profitentes. His vicini sunt *Saturniani*, *Basilidiani*, *Cerintbiani*, & *Cerdoniani*, alium Judæis, alium Christianis Deum, eosque sibi contrarios, quorum ille Veteris, hic novi Testamenti præses sit, adscribentes. *Menandriani*, *Saturniani*, *Basilidiani*, & *Cerdoniani* Deum quidem agnoverunt, sed eundem tamen ipsis Judæis, ante Adventum ignotum fuisse, afferunt. *Nicolaitæ*, *Carpocratiani* & *Valentiniani*, præter alios errores sub falsis Attributis & barbaris admodum nominibus veram Dei Essentiam depravant. *Manichæi*, *Tertullianitæ*, *Audiani*, *Antropomorphitæ* & *Metangismonitæ* simplicissimam Numinis divini Essentiam

tiam corpoream esse & credunt, & defendere satagunt.  
Unde *Euchitæ* eum oculis corporeis cerni posse, contra ma-  
nifestam Scripturæ autoritatem, afferunt: & *Aetiani* ex  
eodem fonte errorem haurientes, credunt, verum Deum,  
qvalis quantusque sit, ab homine tamen sensu & intellectu  
**comprehendi posse.** *Valentiniani*, dementes Adversarii,  
propugnabant, verum Deum *Bython* & *Abyssum* illam es-  
se, cuius mentio est facta Genes. I. capite. Neque erubue-  
runt *Simoniani* statuere, *Simonem Magum* verum illum  
fuisse Deum, in quem Judæi & Christiani credant. *Carpocra-  
tiani* verò *Marcitæ* & *Severiani* audent dictitare, Dæ-  
mones familiares verum esse Deum, qui creaverit hoc u-  
niversum. Omnem verò pudoris lineam excedentes, *Si-  
moniani*, *Carpocratiani*, *Marcitæ*, *Severiani*, *Helcesaitæ*, *Ma-  
nichei* & *Menandriani*, turpiter comminiscuntur, Diabolo  
liberum esse in res omnes imperium, atque ex hac hypo-  
thesi ex Diabolo sibi Deum fabricant. In eundem lapi-  
dem offendentes *Colarbasitæ* & *Priscillianistæ*, credunt A-  
stra, Sidera & plantas hominum actiones & vitam modera-  
ri. Hoc verò cum solius Dei opus sit, perspicuum est, eos-  
dem ex Creaturis Deos efficere. Cujus criminis accusan-  
di quoque sunt *Bardisaristæ* & *Priscillianistæ*, fatuo Fato, no-  
stræ vitæ imperium, tanquam certo Deo adscribentes. A  
quibus ut abirent *Valentiniani* in contrarium illapsi sunt  
errorem. Certis enim quibusdam characteribus id attri-  
buerunt, quod soli Deo proprium est, eoque ipsò ex Chara-  
cteribus illis certum sibi Deum effinxerunt. Sed quis Ca-  
merinam hanc universam exhaustiet? Multos enim in do-  
ctrinâ de Deo aberrantes, præter eos, qui hactenus allati  
sunt, & extitisse olim, & hodie extare, ambigendum mini-  
mè est. Perspicuum verò illud in primis fieret, si, quæ  
genti-

gentiles extra Ecclesiarum pomoeria viventes, de Deo somnia-  
verunt, afferre animus esset. Alii enim iis erant Dii na-  
turales, quales sunt, Sol, Luna, Tellus, &c. alii *animales*,  
illique diversi. In Phoenicia enim pro Deo colebantur Sa-  
turnus, Rhea, Jupiter, Juno, de quibus Theodoretus Lib. III.  
de curandis Graecis affectis. Hinc et ipse Sancboniathon, ita scri-  
bit, *Saturnum fuisse hominem*, *Rheam mulierem*, *Saturni*  
*Conjugem*, tradit, *homines etiam Jovem et Junonem*, eorum  
*Liberos*; postea vero cum beneficia quaedam priores ipsi homi-  
nibus contulissent, vita demum perfunctos, dignos a Phoeniciis  
esse habitos, qui divinis honoribus culti, etiam voca-  
rentur Dii, quique et aris et sacrificiis, et annuo epulo co-  
lerentur. In Syria pro Diis culti fuerunt Atargatis, de  
qua Athenaeus Lib. VIII. de Dipnosoph. refert, eam fuisse  
Reginam Syriæ, Getis nomine, qua cum obsoniorum es-  
set avidissima, Edictum promulgasse, ne quis pisces ede-  
ret, ατερ Γάτιδος, præter Gatum, imperitum vulgus ex ατερ  
Γάτις unam conflasse vocem ατεργάτις. Reliquos Syrorum  
Deos evolvat Lector eruditus apud Selenum de Diis Syris,  
nec non apud Vossium de Idololatria Gentium Lib. I. cap.  
XXIII. Qui idem quoque Capitibus seqventibus eruditè  
tradit, quinam Dii in Media, quinam in India, & alibi divi-  
nō cultu affecti & pro veris Diis habiti sint. Taceo apud  
Romanos Deos Selectos, Consententes, Minorum, Majorum-  
que Gentium, Penates, Lares, & quos non? Verum quanquam  
haec farrago satis magna sit, optandumque, ut nulli præter  
hos errores in mundo deprehendantur, dantur tamen et-  
iam Deistæ, abominandum genus hominum. Hi Deum  
quidem admittunt, cætera tamen Christiana Mysteria,  
ipsam quoque Scripturam Sacram, pro fabulis habent.  
Agnoscantne hi Autorem Guilielmum Postellum, Autorem  
satis

satis monstrosum, qvod *Raymundus* voluit, an antiquior  
rem qvendam? adhuc sub judice lis est. Celeberrimus  
enim *Morbofius* Postellum ab hoc crimine absolvit, demon-  
strans ex Postelli Librō de Nativitate Mediatoris ultimā,  
eum contraria omnia credidisse & docuisse. Sed ut huic  
rei diutius nos inhæreamus ideo opus non erit, qvia Admo-  
dum Reverendus & Præcellentissimus DN. M. JO-  
**HANNES HENRICUS FEUSTKINGIUS,**  
Holsatus, hactenus Fac.Phil. Adjunctus meritissimus, nunc  
verò vocatus Pastor & Superintendens Jessenensis dignis-  
simus, SS. Theol. Candidatus egregius, id in se operæ sus-  
cepit, ut, qvando ex Statutorum Ordinis Theologici decre-  
to, publicè ipsi verba ex Cathedra Lutheri Academica fa-  
cienda sunt, hoc sibi præcipue Thema gratissimum esse  
ostenderet, qvō veram & salutiferam de Deo sententiam  
proponeret, & in primis *Deistas* vivis coloribus depictedos  
falsitatis convinceret, eosq; cane pejus & angve fugiendos  
esse, eleganter & eruditè moneret, seqve adeo verum SS.  
Theologiæ Candidatum probaret. De hujus vitæ ortu &  
progressu, anteqvam Schedam hanc absolvamus, ex more  
qvædam hic annotabimus. Nactus est is vivendi exordium  
Stelloviæ in Holsatia sub Comitatu Illustrissimi Comitis  
Ranzovii, Parentibus jamdudum in Christo placide defun-  
ctis, Viro Plurimum Reverendo & Amplissimo, Domino  
**HEINRICO FEUSTKINGIO, Ecclesie Stelloviensis Pastore**  
& Consistorii Regii Münsterdorffensis Affectore, Matre vero  
omni Virtutum corona ornata, DOROTHEA à MOLS-  
DORFIN, ex Nobili & vetustâ illa MOLSDORFIORUM  
familia prosatâ fœminâ. Avum paternum habuit M.  
**JOHANNEM FEUSTKINGIUM, Hervordia-Westpha-  
lum, Ecclesie Elmsboriana in Holsatiâ Pastorem primarium,**

Con.

*Confessorii Ranzoviani Assessorem & Seniorem gravissimum. Aves ex materna linea eidem obtigit, Generosus & Excellentissimus Dominus SEBASTIANUS a MOLS-DORF, Sacrae Regiae Majestatis DANICÆ Legionis pedestris Cbiliarcha fortissimus. His oriundus natalibus, ad originem salutis, originis peccato infectus, deductus est noster per salutiferas lavacri regenerationis aquas, atque notam beatificæ initiationis nactus est JOHANNIS HEINRICI, ab avo & Parente in ipsum derivatum nomen. Obitus Venerandi Parentis inquietabat animum Candidati nostri, quum nihil eruditionis & solidæ informationis ex eo suscepisset, in quo memoria ejus superesse, & efficaci solatio vulneris hujus acerbitatem lenire posset; At Matris viduæ pietate ad timorem Dei & honestatis amorem magna industria laudabilique solicitudine adseveratus fuit, Hæc enim ut erat in sobolem attentissima cura, cum in puero ingenium capessendis literis accommodatum, non obscuris indiciis observasset, (solent enim certis rebus certa signa præcurrere, quæ vim quandam habent divinationis & augurii) id dedit operam sedulo, ut non tantum intra privatos parietes, sed publicè quoque cum fide erudiretur. Quapropter IZEHOÆ & CREMPÆ, quæ antiquissimæ Stormariæ civitates sunt, Præceptoribus fidelissimis, DAVIDI ILGEN, JOHANNI DANIELI TRIBBENIO, & JOHANNI DINCKLERO, erudienda Juventutis peritissimæ Viris, traditus est, qui tenerum Scholæ Alumnum de meliori nota commendatum sibi habebant. Facile illis erat observare ingenii felicitatem in adolescente, ut suis sibi moribus gradum ad majora structurus, nec in secundis aut tertiiis hæsurus videretur. Ne vero in locis obscuris aut languesceret, & quandam veluti in opaco situm duceret, non in angulum aliquem, in quo pauciores erudiantur,*

:(():(

tur,

tur, detrusus est, sed celebrem illam Musarum sedem Bal-  
thicam, ROSTOCHIUM, salutavit, atque altiora jam ani-  
mo volvens, ad studia Academica mature se præparavit,  
consiliis & largissimis cognati sui B. CHRISTIANI EL-  
LERHUES, *Medici Experientissimi*, opibus quam maxime  
adjutus. Alter hic Candidati nostri Parens erat, qui ad-  
venientem ex Holsatia placide exceptit, hærentem laute  
habuit, abeuntem pio voto & cum benedictione dimisit.  
Hujus Beatissimi Viri solicita cura optimos studiorum Ga-  
malieles DN. OTTONEM, DN. M. BURGMANNUM,  
DN. M. PLANIUM, atque DN. CRUSIUM natus est, à  
qvibus græcis & latinis literis institutus fuit, easqve sibi  
Hodegis hisce præeuntibus comparavit gazas, qvibus post-  
modum ad honestum existimationis culmen pervenire  
posset. Hujus denique Indulgentissimi Patroni sustenta-  
tione factum est, ut admodum adolescens publicè docen-  
tes & disputantes sub Ἐχεμνοδίᾳ conditione Summos Theo-  
logos, AUGUSTUM VARENIUM & MICHAELEM CO-  
BABUM haud raro audire, datum ipsi fuerit atque con-  
cessum. Magno ejus commodo dehinc accidit, ut Ex-  
cellentissimi Avunculi sui DN. CASPARIS ELLERHUES  
J. U. D. & Practici apud Rostochienses celebratissimi, fvasu &  
χειροτονίᾳ, DN. STEPHANI ENGELS, jam *Synodi Grabo-*  
*viensis Præpositi atque Senioris & DN. M. DAVIDIS WEN-*  
*DEKERI, Ecclesiæ Wismariensis ad D. Marie Archidiaconi*  
hodie vigilantissimi, praxeos Christianæ indefessi. Ergo-  
dioctis, eruditissimis acroasis tradetur. Horum ad-  
hærebat lateri perpetuo, ab his arripiebat avidè, qvod ad  
instruendum ingenium præceptis sapientiæ, implendam-  
que mentem divinore doctrinâ pertinebat, & perspicue  
juxta ac exactissime à fidelissimis hisce Duumviris incul-  
cabatur. Præcipue vero à prælaudato DN. ENGEL, exqui-  
sitæ

sitæ eruditio[n]is Viro, qvem inflammato studio unusqvis-  
qve Doctorem appetebat, multa eademqve egregia in Pbi-  
losophicis & Theologicis mutuabat Noster, dum per explicati-  
onem Breviarii Eustachiani B. SCHERZERI, & Theologie  
Acroamaticæ B. KOENIGII eos sub manuductione ejus  
progressus fecerat, ut iisdem Commititones suos superans  
á nemine se unqvam superari passus sit. Non fefellit et-  
iam Præceptorum de se expectationem , nam ita successe-  
rant his Doctoribus excitata conamina, ut annum ætatis  
XVI. nondum ingressus RECTORE MAGNIFICO DN.  
JOHANNE FESTINGIO, Jcto & Consiliario Ducali Meck-  
lenburgicō, nec non Decano Spectabili DN. M. GODO-  
FREDO WEISIO, Græcarum literarum t.t. Professore Pu-  
blico, jam SS. Theologiæ Doctore & Superintendente Lünebur-  
gensī, Civis Academiæ Rostochiensis An. M DC LXXXVIII.  
renunciaretur. Ex eo tempore à svavioribus Musis, qvæ  
vitam ornant, & ad feliciter imbibendas artes magnum in-  
genio pondus addere consverunt , qvas publice tunc e-  
volvebat DN. JOHANNES PASCHIUS, Poëseos P.P. postea  
Præpositus Ribnicensis, nunqvam omnino abstrahi potuit,  
qvin ad dulcissimos hosce fontes recurrente gratum inde  
sæpius liqvorem peteret, nec meliori modo animum re-  
laxari à difficultate rerum philosophicarum posse, qvam in  
eis sedendo campis & floribus, arbitraretur. Porro festi-  
nabat, curæ DN. M. DANIELIS LIPSTORFI ab ævi no-  
stri Esdra, DN. L. EDZARDO, commendatus, ad studium  
Hebraicum, hoc ipsum cum Lutherò vaginam sacram ratus,  
in qvā gladius Spiritus S. effet reconditus. Longum esset,  
sigillatim optimos doctissimosqve Viros enumerare , qvos  
ille complexus ibidem informatione fuerat, satis sit uno  
verbo ponere, tot eorum fuisse, qvot ætas nostra in Acade-  
miâ Rostochiensi extulit. Atqve si nulli essent, qvos profer-  
re

re possem, solus B. D. JUSTUS CHRISTOPHORUS SCHO.  
MERUS, Theologus non unus è multis, sed inter multos  
propemodum singularis, posset Candidato nostro egregiam  
opinione in, famamqve confidere. Nam & hujus Theolo-  
gi acroasibus privatis, in qvibus *Epistolas Paulinas* docta  
exegesi illustrabat, interfuit, publicisqve non tantum *dispu-*  
*tationibus Theologiæ moralis*, sed & lectionibus, qveis *Theo-*  
*logiam Koenigii* strictim exponebat, animum recreavit. Lu-  
bentissime Academiæ huic atqve Doctori diutius ἀπεξισπά-  
τως adhæsisset, ni vitæ ejus ratio aliud svasisset. Hinc ejus  
animus ferebat, terras alio Sole calentes visitare. Profectus  
taqve est studiorum gratia A. 1689. HAMBURGUM, qvæ  
arbs semper est habita scientiarum domicilium, ibiqve ma-  
gnâ animi alacritate & contentione sub manuductione  
EDZARDIANA *Theologiæ Biblicæ exercitium* est ingressus.  
Qvum vero ipsius ad eloquentiam indoles, ad qvam à natu-  
ra studioqve adjumenta habere videbatur, templa atqve  
rostra sacra spectaret, Celeberrimum DN. D. JOH. FRID.  
MAYERUM, S. R. M. Svecicæ in ditionibus Germaniæ Consilia-  
rium Supremum Ecclesiasticum, in hac via sibi ducem elegit,  
qvippe in qvo ea, qvæ solent perfecti Oratoris speciem ex-  
primere, admirabatur. In transcurso salutavit Academiam  
patriam KILONIENSEM, inqve ea docentes Celeberrimi-  
num D. KORTHOLTIUM, cuius favorem jam tūm Ro-  
stockii ad liqvidum fuerat expertus, atqve DN. D. FRAN-  
CKIUM, Theologum nemini rara in tractandis contro-  
versiis prudentia, candore, & animi moderatione secun-  
dum, qvi accuratas rerum Theologicarum lineas Nostro  
inculcabant. Propositum ipsi erat Academiam Regiomon-  
tanam visitare, sed à Theologis orthodoxis non tantum,  
qvos filiali charitate complectebatur, verum & Celeberrimi-  
mo qvondam in ornamentum seculi nato Polyhistore,  
MOR-

MORHOFIO, rationibus victus nostras Athenas salutare  
volupe erat. Prius vero LIPSIAM excurrere voluit, sal-  
tem ut summis Viris, D. CARPZOVIO, D. ALBERTI, D.  
PFEIFFERO, L. SELIGMANNO, atqve B. RIVINO suam  
offerret pietatem, & ex eorum colloqviis non evanidum  
trahere posset colorem. Deinceps & proprio, & qvorum  
intererat, consilio hoc nostrum percelebre Lyceum PRO-  
RECTOR MAGNIFICO DN. D. JOH. HENR. BERGE-  
RO, *jCto & Consiliario Electorali*, est ingressus, ex qvo tem-  
pore illos audivit, qvi orthodoxam & solidam doctrinam  
multis vigiliis magnaqve olei impensa jamtum excusserant,  
docentium voces nutusqve notavit, observavit, audita cum  
aliis privatim recoluit, atqve indies prioribus aliqvid adde-  
re, indefessa diligentia solertiaqve voluit. Venerabatur  
tunc maxime in *philosophicis & controversiis* tam *Anti-Pa-*  
*p&is*, qvam *Anti Calvinianis* D. NATHAN. FALCKIUM,  
Theologum postea Stetinensem, in *curiosis naturae recessibus*  
DN. D. VATERUM, in *moralibus* Excellentissimum DN.  
ROEHRENSEE, in *Hermeneuticis & Syriacis* DN. L. MEIE-  
RUM, Philosophiae apud Hamburgenses Prof. hodie Cele-  
bratissimum, in *Antiquitatibus Profano-Ecclesiasticis & lite-*  
*ratura Græca*, Polyhistorem SCHURZELEISCHIUM au-  
diebat, atqve ex ejusdem discursibus ea adnotabat, qvæ mul-  
tum splendoris & *venerationis* apud doctos, habere visa  
sunt. Neqve minus Illustris DN. SAMUELIS STRYKII,  
*Ser. El. Brandenb. à Consiliis intimis*, Patroni sui hodienum  
& Promotoris maximi, *delicias Juris Canonici*, qvanto po-  
tuit studio, colligebat, & sectabatur. Præsertim vero in *re-*  
*motiori Philosophia, historia literaria, aliisque doctrinarum*  
*partibus* privatisime publiceqve coluit DN. ROESHELI-  
UM, ab hujus discessit ore semper doctior, nec qvicqvam ex  
eo se audivisse, qvod non probaret, gratâ mente attestatur, at-  
testabitur semper. *Qui certè labor minime illum frustratus*

est, profecit enim his Doctoribus, atque ita profecit, ut profectum suorum insigne testimonium publice hic accipiens, sub Decanatu Praelaudati DN. Prof. ROEHRENSEES, *Hospitis sui colendissimi*, An. M. DC XCII. cum LXI. Competitoribus Magistri axiomate omnium consensu decoraretur. Nec dum se ad Palladis fores sedere, aut omni jam defunctum munere, sed vix Parnassi radices superasse, nil blanditus sibi, verissime ratus, procul relegato, desperationis comite, metu, assumtoque forti animo socio, quanto cepit alacrior, ita cordatior progressus est. Hinc novum eruditionis præmium non materia otii, sed operæ ipsi erat. Etenim philosophicas disciplinas ad ductum præceptorum B. WALTHERI, (hunc enim Ducem & Autorem, præeunte ROESCHELIO suo semper elegit) quanta potuit industria privatim interpretabatur. Atque ab hoc docendi munere publicis variorum argumentorum Disputationibus, de Achitophelismo Machiavelli atque Naudeti, de Sufficietia demonstrationum ex hypothesi ad convincendos Θεομάχος, de Tribus hypostasibus Plotini contra Helmontium, de Principio unitatis indivisæ divisibilis, de Deo, in quantum est σύνταγμα ὑπερέστως εἴχων τὸ ὑπερέστιον, de gradibus cognitionis divina, de Diversificatione signorum rationis in Deo &c. præsidendo doctos ad certamen provocavit. Qibus αὐτημασι motus est Amplissimus SAPIENTUM ordo, ut ante triennium in numerum Affectorum Facultatis Philosophicæ eundem receperint. Pependit præterea summa diligentia à nostræ Facultatis Professorum ore, audivitque Venerandi nostri Senioris DN. D. DEUTSCHMANNI, *Hospitis sui* quondam Liberalissimi, meditationes sacras atque Theologiam biblicam, B. WALTHERUM, Propositiones Sacras, & Ecclesiarum nostrarum libros symbolicos, nec non D. NEUMANNUM, hodiè Rectorem Magnificum, Homilias Sacras pertractantem, summa fide, studioque interpretantes. Meas quoque curas Anti-Socinianas, in Koenigii Theologiam observationes, & in Heberlini Theologiam Practicam commentationes non neglexisse fatetur, iisque per compendium se instructum fuisse grato animo asserit, quia ratione munus suum Ecclesiasticum erga proximum, multis & variis miseriis calamitatibus, que expositum, sibiique ipsi parum constantem, serena conscientiam.

scientia in posterum expedire debeat. In singularem verò  
Summe Rev. D. HANNEKENII nostri amorem & consuetu-  
dinem receptus, huic quoque adhæsit, atque ei in variis mo-  
mentis Theologicis tanta religione, quanta Pythagoram disci-  
puli coluisse narrantur, auscultavit. Quas ex his fontibus im-  
biberat scientias disputando quinque Præside D. DEUTSCH-  
MANNO, de *Subjecto Theologiae Adamicae*, de *unitate essentiæ &*  
*Trinitate personarum*, de *peccato veniali*, de *communicatione idic-*  
*matum*, de *Christi officio triplici*, semel de *Catholica Iudeorum con-*  
*versione* *avata nevas inώς* ex Rom. XI, 25. 26. Præside D. NEU-  
MANNO, itemque sub meo Præsidio contra *Franciscum Turc-*  
*tinum*, de *Theologia unionis in Christo* publice inque oculis omni-  
um ex Lutheri Cathedra demonstravit. Moderatore quoque  
D. HANNEKENIO, jam tum elaboratam de *dimensionibus gratiæ*  
*divinae in salutis negotio* contra D. Horchium, Theologum Her-  
bornensem, litis materiam ventilare, suamque facere in ani-  
mum induxerat, ni temporum difficultas obstatisset, fataque  
operi proposito intercessissent. Et ipse non solum Sacra com-  
plexus est pectore studia, sed aliis quoque ex indultu Ordinis  
nostrri Ducem ad ea persequenda se præbuit. Nam & varia  
Collegia Homiletica nostris aperuit Studiosis, tribus vicibus  
Koenigii Theologiam absolvit, controversias etiam Anti-Cal-  
vinianas ad ductum Synopseos errorum Reformatorum DN.  
D. OLEARII, suis Auditoribus insuper notas reddidit. Ince-  
perat quoque non ita pridem Articulos Visitatorios illustra-  
re, cui tamen labori ob factam electionem ad Pastoratum Jes-  
senensem colophonem imponere coactus fuit. Jucundum ei  
fuit, circumfundi illorum cætibus, qui sapientiam amabant,  
jucundissimum, inter docendum doctrinæ & ingenii opes  
amplificare. Neque in his tantum disciplinis explicandis  
ejus se continebat industria, sed ad alia etiam munera sube-  
unda egrediebatur, nam & in templo nostro parochiali & ca-  
thedrali ad arcem plus vice simplici homilias ad populum ha-  
buit, pie defunctorum etiam in cætibus lugubribus laudatione  
funebri sapissime exornavit, ipsumque Patriæ Patrem, CHRI-  
STIANUM ALBERTUM, Heredem Norwegiae, Episcopum electum  
Lubecensem, Ducem Scblesvici & Holsatiae &c. &c. transactis jam  
suis

suis partibus, lethali morbo consumptum, Oratione funebri in  
Templo Academicō ita cohonestavit, ut *Principem* dignum fuisse  
existimarent singuli, qvi nunquam ex hominum memoria la-  
beretur & excideret, sed in omnium sermone & celebritate  
versaretur. Hic ergo, cum magnō Procerum Universitatis  
nostræ consensu Pastor Ecclesiæ Jessenensis nuper eligeretur,  
Eumqve Pater Patriæ Potentissimus, Serenissimus Elector Sa-  
xoniiæ, FRIDERICUS AUGUSTUS, nutritius noster Cle-  
mentissimus, dignum aestimaret, qvi Ephoriæ, officio Pastorali  
connexæ, simul præficeretur, non indecorum esse putavit, si  
ab Ordine nostro LICENTIAM, summos inter Theolo-  
gos ambiendi honores, decore peteret. Et cum petitionem  
illam rectè & ordine, ut decet, institueret, iisqve prædictus es-  
set ingenii animiqve dotibus, qvæ honoribus illis pares existen-  
tent, nec non ad Officium eâ dignitate dignum, ex judicio  
prudentissimorum Virorum, accederet, non habuit Collegium  
nostrum, cur ab egregio eum conatu repelleret. Indulsit ergo  
eidem ut & cras, Deo clementer fortunante, horâ IX. matuti-  
nâ, post peracta sacra in Templô Oppidanô, Orationem lati-  
nam, eamqve satis elegantem, ex Cathedra Lutheri Academi-  
câ, in Auditorio Majori, publicè & solenniter, nec non more  
ab Antiquis posito, & in hunc usqve diem constanter observa-  
tô, prouuciaret, & diebus seqventibus per Lectiones Acade-  
micas Psalmum XIV. publicè interpretaretur, simulqve ut ad  
cætera, Concionem nimirum publicam, Disputationem so-  
lennem, & Examen rigorosum se pararet, jussit. Ad Oratio-  
nen verò illam auscultandam ut RECTOR ACADEMIÆ MA-  
GNIFICUS, Perqvam Illustres Domini Barones, Proceres A-  
cademici universi, Professores omnium Facultatum splendi-  
dissimi, Doctoresqve & Licentiati reliqui, cum Perqvam Re-  
verendo Ministerio Ecclesiastico, Ordineqve Præcell. Fac. Phil.  
Adjunctorum, nec non universa Nobilissimorum STUDIO-  
SORUM Corona, mature adsint, eamqve cum benevolentia  
& attentione audiant, & ego, & omnis ordo noster, decenter  
orat. Faxit Divinum Numen, ut omnia cedant felicissime!  
Propos. Pub. sub Facult. Theol. Sigillô, Dominica Esto mihi,  
A. C. M DC XCVII.

---

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

